SIXTVS PAPA V.

AD Perpetuam rei memoriam, cũ ſicut accepimus alias fœlicis recordationis Paulus Papa III. prædeceſſor noſter motu proprio, & ex certa ſcientia, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, per ſuas in forma breuis literas pro tempore exiſtentis ſpoliorum, & iurium Cameræ Apoſtolicæ in Regnis Hiſpaniarum Collectorem generalem, necnon in quolibet eorundem Regnorum ciuitate, & diœceſi Subcollectorum aduocatum, & Procuratorem fiſcalẽ, & in cauſis ſpolio, & iura Cameræ huiuſmodi recipientibus actuarium Notarium in Beati Petri, & Sedis Apoſtolicæ protectionẽ, ac ſuos & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis familiares receperit eoſque, & omnia, & ſingula beneficia Eccleſiaſtica, & bona eorum, donec in huiuſmodi negotijs exercitio, & officio actualiter forent, ab omnium & ſingulorum ordinariorum locorum, & quorumcumque aliorum ſuperiorum in dictis Regnis Hiſpaniarum exiſtentium iuriſdictione ſuperioritate, & poteſtate, ita vt ordinarij, & quiuis alij ſuperiores prædicti, eorumque officiales, & Vicarij, contra huiuſmodi literarum tenorem nullam dicto tempore durãte in eos etiam ratione delicti contractus, aut rei de qua agi contigerit ſuperioritatem, poteſtatem, vel iuriſdictionem valerent exercere, aut excomunionis, vel alias ſententias, cẽſuras, & pœnas infligere, exemerit, & totaliter liberauerit, ac Subcollectores, Aduocatos, Procuratores, & Notarios prædictos, dicti generalis Collectoris iuriſdictioni & poteſtati immediatę ſubiecerit, dans & concedens prædicto Collectori generali, quoad præmiſſa omnia & ſingula in prędictos omnes & ſingulos Subcollectores, Aduocatorum, & Notariorũ, tãquam ipſorum ordinarij conſenſibus dictis literis meis haberent iuriſdictionem, ac poteſtatẽ: & deinde felic. record. Pius Papa IIII. Gregorius XIII. ſimiliter prædeceſſores noſtri, per alias literas ſuas ipſius Pauli literas approbauerint, & innouauerint, ac propotiori cautella ipſos Collectorem generalem, Subcollectores, Aduocatũ, Procuratorem, & Notarium, ſub Beati Petri, & Sedis huiuſmodi protectione, ac in ſuos etiam, & Romani Pontificis, familiares pariter receperint eiuſdem modis & formis exemerint,

rint,

rint,ac prorſus liberauerint,prout in ſingulis prædeceſſorum huiuſmodi literas plenius continetur. Nos igitur eorundem prædeceſſorum noſtrorum veſtigijs inhærẽtes motu,ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus,prædeceſſorum huiuſmodi literas prædictas, quarũ veriores tenores præſentibus pro ſufficienter expreſsis habere volumus, ac prout illas concernunt præter decimas,& ſubſidiorum exemptiones in eis contentas authoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus,& approbamus,& innouamus,ni nihilominus ad maiorẽ & potiorem cautellam dictos Collectores generales,& Subcollectores aduocatos Procuratores, & Notarios etiam ſub Beati Petri,& eiuſdem Sedis protectionem, ac in noſtros & Romani Pontificis, pro tempore exiſtentis familiares denuo recepimus eiuſdem modis & formis,quibus dicti prædeceſſores fecerunt,exceptis ſupradictis eximimus,& totaliter liberamus *concedentis* eis,eorum cuilibet, vt eorum officio durante,quod omnes & ſingulos fructus,ac diſtributiones etiam mere quotidianas quoruncumque beneficiorum,& præbendarũ ſuarum,etiam ſi dignitates maiores poſt Pontificales, vel officia in Cathedralibus,vel Metropolitanis Eccleſijs,etiam Canonicatus inſimul de iure conſuetudine,vel Sedis Apoſtolicæ indulto,& diſpenſatione quilibet eorum obtinuerint in abſentia,integrè,libere,& licitè percipere valeãt, veluti noſtri Sedis Apoſtolicæ familiares ad inſtar aliorum familiarium Epiſcoporum,ſeu aliorum, & factores negotiorum Eccleſiarum prædictarum,qui de iure,vel conſuetudine, ſeu alias quomodolibet fructus,& diſtributiones prædictas lucrari ſolẽt: *Necnon Subcollectores aduocatos Procuratores, & Notarijs huiuſmodi generalis collectorie* iuriſdictioni ſuperioritate, & poteſtate inmediate,dum fuerint in officio ſubijcimus,dictoque Collectori generali in omnes ſupradictos omnimodam, & totalem iuriſdictionem,ac etiam contra quaſcumque perſonas,ſiue capitula denegantes fructus, & diſtributiones prædictas per ſe, alias,& aliorum exercendi facultatem concedimus,nõ obſtãtibus illis,quæ dicti prædeceſſores in ſuis literis prædictis voluerunt non obſtare,cæteriſque cõtrarijs quibuſcumque. Datis Romæ in Mõtequirinali ſub annullo Piſcatoris die octauo Maij milleſimo quingẽtiſimo & nonageſimo, Põtificatus noſtri anno ſexto.

POR